



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXXIX. In Domin. X. Post Pentec. Publicanus autem stans à longe percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18. Arg. Dexteræ publicani scenam data.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

quatenus eidem tanquam supremo re-
rum omnium Domino debitum cul-
tum, reverentiam, latriam deferant;
tanquam severissimum scelerum om-
nium vindicem timeant, tanquam ope-
rum omnium nostrorum ac cogita-
tionum speculatorem oculatissimum
revereantur; quatenus ad eundem tan-
quam ad finem, & centrum beatitudi-
nis toto animi conatu colliment. Sa-
ragant intelligere, quæ sunt mundi,
quatenus ejus fallacias devitent, ejus
bonis non nisi ad bonum æternum
consequendum utantur, eidem si im-
morentur, non immoriantur; & omis-
sis superfluarum, caducarumque re-
rum studiis, in salutis suæ anchoram

statu minandam incumbant. Saragant
quæ sunt inferni prævidere, quatenus
sempiternæ fulminationis causas præ-
sciendant, à peccato tanquam à facie co-
lubri fugiant, à via lata, & spatiosa, ad
arctam & angustam si recipiant.

Christe JESU Lux vera illuminans
omnem hominem venientem in hunc
mundum, Conditor universorum, &
zelator animarum nostrarum arden-
tissime, tu quæso obtusam mentis cali-
ginem discute, tu lumen infunde, ut
id ipsum sapiamus, intelligamus, & præ-
videamus omnes; ut tibi fletum ab-
stergentes in nos ipsos transferamus
eundem, nec unquam quæ deploran-
da sunt, deinceps committamus. Fiat.




CONCIO XXXIX.

IN DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Publicanus autem stans à longè percutiebat pectus suum,
dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.

ARGUMENTUM.

DEXTERA PUBLICANI IN SCENAM
DATA.

I.  Uellum quon-
dam in valle Te-
rebynthi Gigan-
tem inter Philis-
taum, ac Davi-
dem commissū,
ex præfata Evan-
gelii lectione in templo Hierosolymi-

tano Pharisæum inter ac Publicanum
redintegratum percepimus. A. Pro-
cedebat ibi parte ex una Philistæus lo-
ricâ squammatâ indutus, casside æreâ
in capite, & scuto chalybeo toto cor-
pore munitus, despiciens, ac despuens
adversarium tanquam imbellem, atque
indignum, qui secum congrederetur;

Aaa

ideq.

1. Reg. 17. ideoque ait; *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Ex altera ibat David ab ollâ indutus, & perâ accinctus pastoritiâ, soloque baculo armatus, hæc pauca arrogantissimo illi reponens supercilio: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.*

1b. v. 45. Non in fortitudine armorum victoria belli, aut duelli; sed à Domino Deo est. Et illico commisso certamine feliciter triumphavit.

Ad eundem modum procedit hodie Pharisæus ex parte una, & Propitiatorio proximus, tanquam primæ admissionis apud supremam Majestatem aulicus; & quasi meritis, qui Dominum inibi auditioni precum nostrarum operantem cominus affaretur, non tam litaturus, quam misero publicano exprobaturus in aciem descendit: *Deus, inquit, gratias habeo, quod non sim cœteris hominibus similis; qui raptu vivunt, qui fraudibus rem familiarem adaugent, qui adulteriis thalamos dehonestant alienos; aut denique infame munus administrantes, in gratiam summatum, populum tuum expilant, divexant, exinaniant, quemadmodum hic publicanus.* Nec etiam luxui indulgeo more Procerum, ac optimatum nostrorum, sed jejuno bis in Sabbatho, & insuper omnium bonorum meorum decimam partem pietati lito. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cœteri.*

Ex alia stabat eminus Publicanus, & quoniam delinquendo se longè à Deo recessisse noverat, nec oculos in cœlum præsumebat attollere, existimans se indignum iis obrutibus DE-

UM, aut atam ipsius intueri; quibus ad conspiciendum illicita plurima fuerat abusus; sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Quid factum? Quemadmodum Goliath fastuosissimus, presumptuosissimusque ab humili Davide fundâ prostratus; ita & arrogantissimus Pharisæus à pœnitente Publicano pugno detriumphatus: *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.*

Receptissimus hic est in tota Christianitate cum Sathana confligendi modus. Nemo in primitiva Ecclesia, teste Hipponensi Præsule, sacris intererat, quin tundendo pectori fructuosè vacaret. Viget etiamnum hæc pia consuetudo, nec facile quispiam tam pervicacis est pectoris, qui illud identidem cum hodierno Publicano non flagellet, ac flagellando ingeminet: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Verum non omnes hoc armorum genere vincunt cum Publicano, nec omnes justificati in domum suam repedant. Dicite quæso undenam id eveniat, aut quo sine & intentione hæc percussio fieri debeat, aut facta credatur à Publicano, ut triumpharet. Quotquot hic adestis Auditores, totidem Ecclesiastas expeto; ut me obmutescente, à vobis hujus facti rationes audire liceat.

S. I.

Sensus Jurisperitorum indagatur.

II. **A**Tque imprimis vobis hic campum dicendi patere arbitror Excellentissimi Domini Jurisperiti, quorum officium est de bonè & malè factis

factis sententiam proferre, ac decernere; Dicite itaque quidnam hoc facto præfatus Publicanus demonstrare intendit?

Si pie mentem illius interpretari velimus, rege ritis, dicendum esset, quod latentes in animo Numinis hostes hoc stratagemate publicaverit. Etenim iure Cæsareo sanctum est, ut patres familias, ac fideles subditi deprehensos domi suæ malefactores, proditores, exploratores, similisque farinae perperam fermentata capita magistratui deferant; ne tanquam perduellionis complices, iisdem obnoxii maneat pœnis, quibus proditores illi multandi fuerant. Et credimus futurum fuisse, ut gravissimis lubiiceretur tormentis pia illa in exploratores populi Israelitici mulier Rahab, nisi ementitâ excusationis spongiâ facinus suum diluisset. Dicebat enim; *Fateor venerunt ad me, sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio qua abierunt, persequimini cito, & comprehendite eos.*

Firmatum itidem divinis Pandectis, quatenus unusquisque hostes prodat Numinis, & confiteatur scelera sua; quæ adversus eum in corde peccatoris Babylonem, seu arcem tyrannidis architectantur, in eo sua extruunt propugnacula, firmant præsidia, reconducunt arma. Ita enim illa loquuntur apud S. Jacobum Apostolum *Confitemini alterutrum peccata vestra. id est: Confitemini homines hominibus vobis similibus; puta illis, quibus à Christo cura, & potestas absolvendi demandata est, & non Angelis.*

Huic legi obsecundaturus Publica-

nus, & gestu, & linguâ inimicos Domini sui evulgabat. *Gestu*, quando percutiebat pectus suum. Nam ut scribit D. Augustinus; *Tudere pectus est arguere quod latet in pectore.* Usitatissimum enim est digitum in id intendere, quod demonstrare gestimus. Linguâ autem dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* quod, Admissi in domum meam latrunculos, qui depraedantur animam meam, regnum, ac possessionem tuam. Recepti illum, qui fuit homicida ab initio, hic domi meæ residet, inibi consilia contra te Domine perveris suggestionibus agit, in ea tanquam in arce munitissima propugnacula disponit, & aggere quodam inveteratæ consuetudinis, obstinatæque mentis communi- re satagit. Collusi eidem hæcenus, sed jam ignosce, indulge, miserere prostrato, & veniam exoranti: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Abrenuncio Sathanae, ac pompis ejus, & tibi Domino DEO meo totis præcordiis adhærere concupio. Hæc credimus mens ejus extitit, dum pectus suum propalam pulsavit.

III. Perbelle sapitis, & decernitis Excellentissimi Domini, neque enim quod aliis familiare est, pectus alienum tundeat, sed proprium; non regeffit in Pharisæum contumeliam; aut reciprocum intulit convitium; sed sibi met culpam imputavit. Non protulit vulgaria rixantium proverbialia: Tunc audes me proscindere, qui profundiore infixus es luto, & acriori indiges novaculâ, ac lixivio? Cur non unguem tuo ponis in ulcere? Cur non respicis Manticae quid in tergo sit? Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem

S. Aug. 13.
de verb.
Dom.

Tunso pe-
toris quid
signet.

10j. 2. 4.

1ac. 5. 16.

in oculo tuo non consideras? Non item proximo, aut Sathanæ sua imputabat scelera, sed sibi met: *Percutiebat pectus suam.*

Heu quanta hac in parte imitantium eum paucitas? Quam ex adversum copiosa Pharisaorum multitudo plenis buccis crepantium opera sua, & prætextentium pravitatem suam! Malumus nimirum petire, quam vel vulnera indicare, vel crimen fateri. Malumus cum vitiis nostris damnari, quam cum manifestatione justificari. Malumus cum Adamo aliis affricare, & paradiso carere, quam cum præsentem publicano pectus quatere, & peccatum nobis imputare.

Sed quid insuper arbitramini?

IV. Forsitan in se deservit, ut de se ipso pœnas exigeret. Noverat probe illud Apostoli: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Noverat ad malè patrata, esse atra theatra parata. Noverat, quod indissolubilis esset cognitio culpæ, & pœnæ. Noverat, quod raro, aut nunquam scelestum deseruit pede pœna claudo. Eapropter ne præveniatur, ipse præoccupat iudicium, & in se plectit, ne severius Nemesis divina ulciscatur. Et id ipsum etiam opinatur Augustissimus Pater Augustinus dum dicit: *Percutiebat pectus suam pœnam de se ipso exigebat, ideo Dominus consistenti parcebat.*

Aug. ser. 36.
de verb. D.

Rectè & istud, siquidem vera pœnitentia nequitiam præcordiis stringitur, sed ad ultionem foras erumpit, carnem blandissimam quondam sirenem divexat, spiritum extenuat, & quibus pollet adminiculis, iram divinam placare, & avertere admittit.

Suppari ratione à nobis ipsis ultionem sumere par est, si Deum severum iudicem & vindicem propitium nancisci præoptamus. Castigetur hic corpus pœnis mediocribus, ac tolerabilibus, ne per insolentiam efferatum pœnis obnoxium evadat sempiternis. Tantundem juris detrahitur Rhadamantis, quantum quisque sibi assumpserit supplicii. Neque etiam geminatis fascibus ferit Numen; sed quod hic censurâ, ac disciplina seriâ expiatum est; id ipsum illius absolvitur scrutinio.

§. II.

Consilium Medicorum inquiritur.

V. Vos autem expertissimi Domini Medici, quid de hoc facinore statuitis?

Si ex professione nostra buccinandum nobis est, opinamur vulnus præcordiis suis infixum hac ratione cœlesti indicasse medico. Agnatum enim omnibus ægrotantibus est, eò manum inclinare, quò dolor abripit, languoremque præsentem exhibere Hippocrati. Eapropter Publicanus hic coram Domino, perinde ac summo, maximoque ægrimonix suæ Esculapio (quantumvis omnia scienti) vulnera sua detegit, remorsum explanat, & quasi muto loquitur idiomate: O Domine mi, medice animæ meæ, ecce vulnera mea quibus conficior; plagas, quibus excrucior; saniem criminis mei, quâ inficior. Hic ira incendit, invidia livorem facit, avaritia hydropem auget, acedia debilitat, superbia inflat; hic conscientia colica pungit, & virus suum scelus omne meum diffundit. Tu itaque un-

guen-

gentum miserationum tuarum suffice, tu instilla clementiæ liquorem, tu gratiæ oleum infunde, quatenus cor meum exulceratum sanitati redonetur, tibi que perpetim vivat, ac deseruiat; Id ex Aphorismis nostris mutrat. *D. Chrysof.* tus est D. Chrysofomus cum scriberet: *Valnus qui detegit, medicinam querit.* Detexit Publicanus, & Panchrestum efflagitabat. Vel etiam quia in se Apostema peccati senserat, pus exprelfurus, tundit pectus; & per oculos lachrymas, tanquam saniem stillare facit.

VI. Sapiëntissimè profectò. Magna enim pars sanitatis est languorem manifestasse; nec certior est spes vitæ, quam ubi pus eliquatur penitissimè. Quantò malum abstrusum est altiùs, tantò invalescit amplius, & Libitinam accelerat maturiùs. Sanari refugit, quisquis ulcus diffiraulat; & tanto magis asperat medelam, quantò studiofiùs obnubit venenum. Ab ægrotantibus experimentum capere fas est, quorum languorem exaggerant tenebræ, quam lucis radii mitigant, & abstergunt. Cum maleficis nimirum id commune habent mala nostra, ut ad aspectum hominum expalleant, & ad eorum notitiam verecundentur; in caligine verò licentiosiùs grassentur, & invalescant. Actum de utrisque est ubi ad Judicis tribunal attracti convincuntur.

§. III.

Sententia Ethicorum.

VII. **L**iceat tamen ultra progredi, & ex vobis Domini morum

Plastæ scitari, quod sentitis, cur quæso pectus suam arietasse arbitramini?

Dormiebat, reponitis, profundius cor ipsius, ut itaque ad pœnitentiæ excitaret vigilias, & periculorum cautelam, repetitis ictibus castigat, & quasi tacitus submullat illi; *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Surge peccatrix anima, quæ vitiosæ consuetudinis laboras lethargo, & prope peccato mortua es; proripe te ocius, evigila, & exurge.

VIII. Ingeniosè & istud, & quidem ad mentem Theophilaeti Ita enim loquitur ille: *Percutit cor Publicanus, ut excitet quod dormierat.* Indormit enim peccator salutis suæ, & vacat omni actione honestâ, nec percipit ea quæ sunt spiritus, æquè ut dormiens; sed somniis illuditur, & phantasiis suis abstrahitur. Ubi nocte concubia, solutis alte sensibus hæc aberrare cœperit, fingit sibi imperia, sceptrâ, coronas, opes, gazas regias, mensas solis; at ubi ad noctis unius imaginem, & varia somniorum deliria ita lusit animus, & sibi illudit; orto sole, excusso sopore, vigili sensu, ac mente, videt inanes fuisse topicæ mentis typos, ludicra commenta, insana deliria. Ita cum aliquando vitæ somnum mors discussit, cum à nocte hujus ævi mortalis altiori surget impius æternitati tunc videbit meras fuisse illusiones, & vanissima simulachra, tunc cognoscet, quam ex oraculo verè cecinerit David: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Quatiendum igitur est cor cum præsentem Publicano, quatenus è veterno expergefiat, oculos adaperiat, hostes quibus vallatum est cer-

Eph. 5. 14.

Peccatoris
somnia
Theophil.

Psal. 75. 6.

nat, ad novam vitam se proripiat; & tanquam novus homo ambulans in novitate vitæ, & lucis operibus novis, ac sanctis insistat. *Percutiebat pectus suum.*

§. IV.

Mens Sophorum inquiritur.

IX. **I**am ad vos honestissimarum disciplinarum ornatissimi cultores Philosophi me converto, vos scitor, quid censetis? quid ex ipsis naturæ principiiis hac super te evisceratis?

Placuit, decernitis, hoc manifesto signo se indicare vas vacuum: Vasa quippe periclitamur pulsu, & sono illorum, ex iis aut plenitudinem, aut vacuitatem conjecturi. Vas quippe vacuum altiùs sonat pleno. Ergo cum Publicanus Evangelicus sua feriat præcordia, receptacula gratiarum; opere ipso periclitatur, ac demonstrat se esse vas vacuum, compar illi cuius meminit Psaltes: *Effusus sum sicut aqua, factus sum tanquam vas perditum.* Olim eram vas electionis, vas gloriæ, jam mutatus sum in vas contumeliæ; olim plenus oleo misericordiæ, jam nunc omni vacuum dulcedine gratiæ; olim plenus Spiritu S. jam expers omnis vitæ, ac virtutis. *Factus sum tanquam vas perditum.*

X. Concinne & istud ad eruditionem nostram, siquidem quamdiu in statu peccati est homo, nihil omnino capit gratiæ, sed quidquid habuit profundit. Hinc viri sancti non putarunt ineundam esse rationem illorum annorum, quos aliquando in sæculo, & in peccatis exegissent. Noverant quippe non fuisse illos dies anni vitæ, sed

mortis; non dies plenos, sed vacuos. Proinde qui à virtutis orbita exerrat, qui omnem vitam suam in sceleribus traducit, etsi centenos, & millenos calculet annos, non ideo tamen plenus dierum dicitur; sed qui ut puer rationis impos vixerat, ut puer morietur; non ex humanâ, sed divinâ supputandi ratione. *Puer, ait apud Isaiam Dominus, centum annorum morietur.* Ex folis lunæque cursu centum exegit annos; at quia meritis vacuum pueriles non exiit mores, & amores, *puer centum annorum morietur.*

Merito & hic cum Publicano pectus tundentes, revocare nobis possumus priora tempora otiosè trita, aut in statu peccati evoluta, & exigere, quam vacuum sit cor nostrum, quantum ex eo gratiæ diffluerit, & effluerit. Merito cum Imperatore Tito exululare: Amici diem, immo & mensem, & annum perdididi, quo nihil boni feci, nihil meritus sum. Vel cum Davide: *Factus sum tanquam vas perditum, tanquam cisterna dissipata, quæ continere non valet aquam.*

XI. Libenter vos audio, proferte si quid ultra occurrit. Sensit hic Publicanus, dicitis, duritiem quampiam cordis sui, & quia aliunde didicerat, quia cor contritum, & humiliatum Deus non despiceret; id geminatis ictibus in pulverem redigere satagebat. Videbatur sibi haud absimilis idolo illi Nabuchodonosoris per superbiam antea redditus; aut vitulo Judaico ab Aarone constato per avaritiam; ut igitur illud de montis cacumine exciso lapillo comminutum, hic per Moysen in pulve-

*Peccator
vas va-
uum.*

Psal. 30. 13.

*Peccator in
statu suo ni-
hil meretur.*

pulverem redactus; ita seipsam gestiebat conterere, & in nihilum redigere.

Vel certe percutiebat pectus suam ferreum, lapideum, silicinum, & ex eo ignem divini amoris elicere tentabat. Cum enim tunfio illa ex vero dolore processerit, fieri non potuit, quin flamma divini incendii exorta fuerit. Dextre profectò.

Dion. pag.
367.

XII. Dion. in Antonino Philosopho de hostibus Barbaris igne fulmineo flagrantibus loquens ait; *Infligebant sibi vulnera quo ignem sanguine restinguerent.* Verius de peccatoris contritione dicitur, quod se ipsum feriat, quatenus ignem inferni sopiat & extinguat, & flammam puri amoris succendat. Utinam, utinam ex hoc unico, vel præcipuo motivo, quod Deum summum bonum sceleribus nostris lacefferimus pectus pulsaremus, profectò hic ignis emicaret, & depasceretur, quidquid in nobis venenatum, quidquid foetidum, quidquid perversum est.

§ V.

Theologia sensus investigatur.

XIII. **N**E ultra exorbitem, dicite quænam tandem est vestra sententia eximii Domini Theologi? Quid arbitramini?

Nihil aliud, quam mentem illius in eo fixam fuisse, quatenus dignum pœnitentiæ fructum proferret. Non fert autem illos caro nostra, nisi putetur, vulneretur, eruncetur. Arboris nucæ genium sapit, quæ sine verbere sterilefcit, ad bonorum operum fructum copiose egerminandum. Proinde percutiendo pectus sibi in insurrexare vi-

detur illas minas ore Dominico intentatas. O arbor infrugifera, ecce jam tres anni sunt, immo triginta ex quo cœlestis Paterfamilias venit quærens fructum in te, & non invenit; quid agis? Curte non exeris? Cur securim appositam non expallescis? Cur ignem tibi paratum non perhorrescis? Eja age, assume vires, redintegra animum, & ad optatos fructus effloresce. Ego deinceps fodiam circa te afflictionibus, ac jejuniis; & ponam circa te stercorea mortalitatis tuæ.

XIV. Divinè, ac præclarè.

Ad vestrum opinor sensum hanc tunfionem interpretatus est Eminentissimus Cardinalis Hugo, quando tria in tunfione animadvertit intervenire præcordiorum. Nimirum læsionem, seu dolorem illatum, tum sonum ex illa tunfione procreatum, tandem vibrationem ipsius manus, seu applicationem ad feriendum. Per læsionem, seu dolorem præcordiorum intelligit contritionem; per sonum Confessionem, per manus applicationem satisfactionem. Ita enim ille: *Est tibi læsio, per quam significatur contritio; & sonus, per quem significatur Confessio; & manus appositio, per quam significatur satisfactio.* Vult itaque Publicani istius tunfione pectoris significari pœnitentiam ipsius fuisse omnibus numeris absolutam, ac perfectam; nimirum & doluisse de peccatis suis ex intimo corde, & eadem manifestasse, & pro iis satisfecisse; sicque fructum exoptatum Pœnitentiæ tulisse. Vult in hoc præcordiorum pulsu, & hostes esse profligatos, & Numen optimum reconciliatum. *Per-*

Tunfio pectoris signat pœnitentiam.
Hugo Card.
lib. 1:

XV. O

Aff. Aus.

XV. O quantarum itaque virium fuisse hanc dexteram deprædicem? Quibus eam pugnis, & brachiis pro merito conferam? Plusquam Herculeæ fortitudinis erat dextera Samsonis, quâ delevit in maxilla asini adversarios suos, & percussit mille viros Philistinorum; ac multò fortior hujus Publicani, qui solo pugno Tartareas in fugam egit legiones.

XVI. Gloriosissima iridem dextera Davidis, quâ prostravit Gigantem Philisthæum, & abstulit opprobrium ex Israel; ac quantò gloriosior mei Publicani, qui longè validiores Gigantes, Centimanosque Briareos non in funda & lapide, sed pugno disjecit, & opprobrium gravius ac servitutem multò mileriorem ex anima sua sustulit. *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.*

Psal. 118.

XVII. Instittit quondam David apud Dominum, quatenus corpus, ac carnem suam clavis quibusdam transverberaret: *Confige timore tuo carnes meas, à mandatis tuis timui.* Configitur autem caro nostra, cum aut timore compungitur; aut ne deficiat in bonis propositis stabilitur. At verò Publicanus noster iisdem confixus clavis, profundius eos adegit pulsando pectus, ne unquam exciderent, & ipse Deo suo tantò firmiter, & nunquam avelendus ab eo, adhæresceret.

XVIII. Fulminum ea vis ac natura, ut vaginâ aut crumena intacta, ipsum ferrum, & æs absument, liquefaciant, annihilent. Prodigium id ipsum manus pœnitentis patrare visa, quum in violato pectore, & corpore cor intus, Sathanamque cum sua cohorte in eo

commorantem contrivit, & ad nihilum redegit.

XIX. Hi quibus est animus atrabilem, & melancholicos disturbare spiritus, tympana quatere, tubas inflare, citharas tangere, fidibus concinnare voces, & omnem ad lætitiâ cogere Heliconem imperant; quatenus hac ratione furvum proturbent spiritum, & ad amœnitatem, ac quietem componant conscientiam.

Rex Saul pressus hoc spiritu David accersit, cujus modulis ille abigebatur, & menti malè quassatæ tranquillitas redire videbatur. Sed quid inde? Paulò post bile, ac cholera se rursùm effundente ingravescebat tempestas, & malus Genius suam in eo reciprocabat lanienam. Publicanus noster excurus malum hospitem, non jam tympana quatit, sed cordis ferit arcana, eoque abegit, ut nunquam crediderim repedasse.

XX. Dicebat quondam magis ad jactantiam, quam ad veritatem Philosophus: *Tunde, tunde Tyranne Anaxarchi sollem, Anaxarchum enim non tundis.* Vasculum conterere poteris, non animum. Non valuit Tyranni truculentâ dextera altum sapientis contingere animum, & multò minus affligere, ac emacerare. Profundissimum erat cor Publicani, & prope ponderibus peccatorum ad ima inferni demersum; nihilominus attingit illud Publicanus pugno suo, & in pulverem suæ vilipensionis contrivit.

Non ergo solos Levitas suos deprædicet Moyses ob cædem hostium Numinis: *Consecrasti manus vestras Domino unusquisque in filio suo, & in fratre suo,*

ut

ut detur vobis benedictio. Sacrificium Omnipotenti multò gratissimum obtulistis; quando interemptis ejus perduellibus idolomania scelus in sanguine ipsorum expiastis. *Consecrastis manus vestras Domino.*

Rectius hoc encomium Publicanus meretur, qui non in alieno cadavere, sed in suomet corpore holocaustum obtulit, manusque tuas Domino dicavit: *Descendit hic justificatus.* Rectius illi, qui eundem æmulantur, & æquè animosè cum eodem contra scelus configunt; non ex consuetudine quæpiam, sed ex virtute, & zelo vindictæ pectus quatunt.

EPILOGVS.

XXI. Verum enim vero eheu quam paucos ejusmodi est invenire! Habent illi pectora æquè ac hic Publicanus indurata, nec desunt illis manus & brachia; at non æquà virtute cum illo evibrant, aut hostes elidunt. Ah quàm vereor, ne id de nobis dici queat, quod Georgius Castriotus Scanderbegus Dux Epirotarum Imperatori Turcarum petenti à se gladium renuntiari jussit: *Mitto tibi gladium non brachium.* Verba quippe tenemus Evangelici Publicani, sed brachio ipsius destituimur; ingeminamus identidem verba illius: *DEVS propitius esto mihi peccatori,* & præcordia ferimus, sed leviter & citra sensum doloris, seu sinceræ contritionis, emendationisque proposito; ita ut ad cor ictus minimè penetrent, nec pares sint peccato, & Sathanæ proturbando.

Quin etiam percutimus pectus subinde (ut notat Simon de Cassia) ad

firmandum delicta, non ad conterenda; infigimus pullando tanquam clavos profundius, non extrahimus. *Ve Simon Cass. runt amen, ait, multi peccatores tundentes confirmant peccata tunsionibus non remorent.* Nam ut scribit S. Augustinus, *Qui pectus tundit, nec se corrigit, peccata solidat non tollit.* Ferimus præcordia magis palpando, quam conterendo; magis ludendo, quam collidendo; magis callum obdurando, quam emolliendo. Tantum abest ut in nos ipsos descendamus, nostra vulnera cælesti medico committamus, ignem divini amoris eliciamus, ut non tam Publicanum, quam Pharisæum æmulari videamur. Ita, ita pectus tundamus, ne in nobis divina Nemesis inveniat, quod plectat; ita feriamus, ut non alios sed nos ipsos respiciamus; ita pulsemus, ut cor in pulverem conteramus; quatenus à torpore, ac veterno excitemus, divinum in nobis ignem succendamus, & gratiæ redonati, in domum nostram justificati descendamus.

In hunc finem iteremus lessum ipsius ex intimis medullis: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Deus cujus misericordiæ non est numerus, cujus natura est bonitas ipsa, cujus voluntas potestas, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, propitiare peccatori prostrato, ac veniam demisse exoranti. O si tota abyssus inexhaustarum lympharum redundaret in sinum meum, seu verius in Petram cordis mei, & hoc verberare tanquam virgâ Moyse aquæ salutes in signum doloris elicereatur. O si vastissimus mihi in lachrymas vertatur

Oceanus, & totus per fontes oculorum irriguos exundet! O utinam fiat tanquam mare contritio mea, quia te DEUM meum, summum bonum meum irritavi; quem toto corde diligere obstrictus eram, *Deus propitius esto mihi peccatori*, libera me eripe me vindica me. Meritus sum fateor millies infernum, sed Filius tuus, in quo tibi com-

placuisti, ipse suomet mihi cruore coram præstinavit. Contraxi debitum supplicii infiniti, quod ille ipse in misericorditer suscipiens abunde exolvit. Non sum dignus tuâ gratiâ ob mea demerita, sed præstandam confido ex immensis ipsius meritis. Deus propitius esto mihi peccatori, & ignosce veniam, ac misericordiam enixe exoranti. Fiat.



CONCIO XL.

IN DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Loquebatur rectè. Marci 7.7.

ARGUMENTUM.

IANUA RHETORICÆ COELESTIS RESERATUR.

I.



Lias inter artes difficillima prope modum est Eloquentia. A. Quot mensium Kalendæ? quot annorum evolvuntur periodis, quoad quispiam illius fontibus labra vel modicè proluat? Quot lustra Paræ deproperant, dum alter in aula vestibulo palatinæ assentationis, ac dicacitatis ponat rudimenta? Demosthenem denos omnino annos, Lysiam tricenos, Periclem totam eadem ætatem consecrassè ferunt. Nos ipsi quibus studiis, ac conatu ad ejus perfectionem non contendimus, cum-

que facundissimos arbitramur, graviores solæcismos (quos ipsi superi execrentur) identidem committimus. *In multiloquio enim non deerit peccatum.* Insinuant sese vanitatis Pleonasmus, hyperbolæ jactantiæ, & ambitionis; cataphreses mendacii aliavè peregrinæ orationis dehonestamenta.

Hodiernus surdus, ac mutus momento temporis, non in profanum duntaxat Oratorem; sed & in sacrum evasit Ecclesiasten, *Loquebatur rectè.*

Quâ viâ quæso, quibus artibus, ac industriâ hanc facundiæ dexteritatem consecutus? Id discutiendum mihi erit, tum ad majorem Evangelii lucem, tum morum nostrorum emendationem.

NAR.